



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CXXIX. Ablaßbrief der Bischöfe Herrmann von Halberstadt und Volrad von Brandenburg für die St. Gertraud-Kirche in Halle, vom 23. März 1298.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CXXVII. Bischof Volrad verleiht die Seelsorge von Petersdorf und Libbeske bei Templin, am 25. November 1297.

Volradus, dei et sedis apostolice gracia Episcopus Brandenburgensis, uniuersis cristi fidelibus salutem in vero salutari. Nouerint uniuersi quod nos priorem in Gobelenhagen, diocesis caminensis, inuestiuimus et concessimus eidem curam ecclesie in peterstorp et eius filie in lubersehen, dyocesis brandenburgensis. In cuius testimonium presentem paginam fecimus assignari appensione nostri sigilli. Datum anno domini M^o. CC^o. XCVII^o. in die sancte katryne virginis.

Nach dem Copialbuch des Klosters Jansenitz im R. Provinzial-Archiv zu Stettin.

CXXVIII. Otto der Lange verzeihet der Neustadt Brandenburg das Dorf Planow, i. J. 1297.

In nomine domini. Amen. Otto, dei gratia Brandenburgensis marchio, omnibus prefens scriptum intuentibus salutem in domino sempiternam. Ne ea, que geruntur in tempore, simul per successum temporis dilabantur, expedit, ut ea, que aguntur, literarum testimonio perennentur. Hinc est, quod notum fieri cupimus tam presentibus quam futuri temporis uniuersis, quod motu proprio et de consensu filii nostri Hermannii incliti beneuolo villam nostram Planowe, ad nos hactenus cum omni iure pertinentem damus et erogamus civitati nostre Brandenburg cum omnibus ad ipsam villam pertinentibus: pratis, pascuis, siluis, nemoribus, aquis aquarumque decursibus, agris cultis et incultis, iure possessionis et proprietatis perpetualiter possidendam, sic ut predicta villa Planowe ab omnibus exactionibus et precariis, angariis et perangariis, seruitiis ordinariis et extraordinariis, nobis et nostro filio faciendis omnino sit libera penitus et exempta. In cuius rei testimonium presentem literam, de certa nostra scientia conscriptam, sigilli nostri munimine duximus roborandam testibus presentibus infra scriptis: domino Henningo de Gatersleue, domino Henrico de Alvensleue, domino Bernhardo de Ploze, domino Boldewino Stormero, pincerna, domino Johanne et Frederico fratribus, dictis de Stendal, militibus, Szabello et Degenardo fratribus, dictis de Cracow, et aliis quam pluribus fide dignis. Datum Brandenborch, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo.

Nach dem Original.

CXXIX. Ablassbrief der Bischöfe Herrmann von Halberstadt und Volrad von Brandenburg für die St. Gertraud-Kirche in Halle, vom 23. März 1298.

Herrmannus, dei gratia Halberstadenensis, Volradus, eadem gracia Brandenburgensis ecclesiarum episcopi. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos presens scriptum peruenerit salutem in eo qui est omnium uera salus. Gratum obsequium et deo pium tociens opinamur inpendere, quotiens mentes fidelium ad pietatis et deuocionis opera exitamus. Cupientes igitur ecclesiam sancte Gertrudis

sanctique Laurentii in Halle, Magdeburgensis diocesis, speciali gratiarum privilegio honorare, Omnibus vere penitentibus et contritis, qui ad predictam ecclesiam in summis quatuor festiuitatibus uidelicet natiuitatis domini pasche, pentecostes, ascensionis, nec non in quatuor festiuitatibus beate Marie uirginis et in festo Michahelis archangeli, martyrum Nycolai, Katerine et omnium sanctorum nec non in festiuitatibus apostolorum et in dedicatione prefate ecclesie et per octauas predictarum festiuitatum octauas habentium causa denocionis, acceperint et ibidem diuinum officium seu uerbum exortationis audierint aut quoquo modo eidem ecclesie manus porrexerint adiutrices, de omnipotentis dei misericordia ac auctoritate nostra, a deo nobis tradita confisi, quadraginta dies de iniuncta eis penitencia, dyocesani consensu accedente misericorditer in domino relaxamus. Datum Magdeburch, anno domini MCCXCVIII, decimo kalendas Aprilis.

Ludwig, Reliq. Man. X., 499.

CXXX. Bischof Volrad und der Propst Johann von Brandenburg errichten für die Kirche des Nonnenklosters zu Zerbst eine eigene Pfarochie, am 8. März 1299.

Volradus, Dei gratia Brandenburgensis Ecclesie Episcopus, Johannes prepositus — protestamur, quod ex consensu Capituli nostre Ecclesie in Brandeburch Domos aliquas segregantes a Parochia Sancti Bartholomei in Tzerewist conjunximus Ecclesie Beate Marie Sanctimonialium ibidem, de ipsa Ecclesia B. Marie Virginis, que ipsi Ecclesie Sancti Bartholomei hactenus subsuerat, singularem Parochiam instaurantes —. Datum et actum in Brandeburch, Anno Domini Milleesimo Ducentesimo Nonagesimo nono, Dominica Inuocauit.

Vollständig in Sedemann's Anhalt. Hist. III, 228.

CXXXI. Der Markgraf Herrmann verkauft dem Domcapitel das Lehn Zolchow, am 1. September 1301.

Hermannus, dei gratia Brandeburgensis marchio et dominus de Hinneberg — reverendo domino, Johanni Brandeburgensis ecclesie preposito, suoque conventui quoddam allodium sex manforum, in terra Zucha situm, et Zolchow nuncupatum, pro quinquaginta marcibus Brandeburgensis argenti et ponderis, quas nos recepisse a preposito et conventu predictis presentibus profitemur, de maturo consilio vassallorum nostrorum vendidimus cum lignis, aquis, piscationibus, pratis, terris cultis et incultis ea libertate, emunitate eoque jure, quo cetera allodia ecclesie sue tenent, et sicut predecessores dicti allodii, videlicet Arnoldus dictus de Piriz, nec non Albertus de Zachow, jure feudali hactenus tenuerunt, ita ipsis non solum modo predicto verum etiam pariter proprietatis tytulo donamus libere perpetuo possidendum, promittentes cum nostris heredibus, ab omni impetitione eorum omnium, qui sibi in predicto allodio aliquid juris addicunt, si quando impetiti fuerint, prepositus et conventus predicti vel qui pro tempore fuerint in ecclesia Brandeburgensi, post